

✠

A. R. P. PRIOR.



B exitiosa illa ac infausta die, qua peccatum, teste Paulo, per unum hominem in mundum, perque peccatum mors introiere, necessum ac ineluctabile omnino est semel omnes, sive dignitate, sive virtute, sive sapientia, sive opibus, sive quocumque gradu evectos interire. Juxta hanc severitatis Divinae sanctionem, clarissimum Hispaniarum illud lumen extinctum, earundem Oraculum ablatum, nostrae praecipuum Familiae Columnen eversum; Vir denuo omnibus omnia factus R. A. P.

M. Fr. Antonius Garcès ac Maestre, totius olim Provinciae Pastor, Caesar-Augustani hujus Praedicatorum Coenobii Alumnus vitam cum morte commutavit: Quae res quam nobis luctuosa fuerit, vobisque esse debeat, utinam nullo umquam tempore vestrum nostrumque omnium damna fateantur! Cum enim plurimum & ornamenti & dignitatis, ob tanti Viri sapientiam, pietatem, consilium, fortitudinem, animarum zelum, omnisque denuo probitatis exemplum, nostro in universum Ordini accesserit, huic autem Provinciae peculiari quadam ratione allatum fuerit, quo tandem animo esse debemus, seu publico bono prospicimus, sive privato commodo consulamus? Ac si omnes exterarum Partium incolae jacturam hanc ita dolent, ut vix fere alia res ulla fuisse videatur, de qua tantopere condoluerint, quo nos dolore affici oportebit, qui Virum nobiscum commorantem habuimus, quocum conversati fuimus, quique nobis suo toto labore commoda comparavit, totque aemulationis exempla reliquit, quot fere verba protulit, ac opera exequutus est? Id quod ne gratis dictum videatur, utque eam, quae una nobis supererat solatii ac lenimenti, proferamus causam, nostrum esse censuimus in narrandis tanti Viri gestis paulisper immorari.

Cum igitur adolescentiam mira quadam in puero gravitate, morumque compositione transgisset, arctioris vitae viam aggredi, Institutumque Religiosum aliquod amplecti constituit. In hoc deligendo diu haesit; Carthusiano an alii nomen daret ambigebat; in quo tamen animarum saluti prospiceret inhiabat. Sic itaque tandem factum est, ut cum nostram Praedicatorum Familiam scopo huic intentam agnovisset, in eam statim decreverit postulaveritque cooptari. Voti compos factus, ac tyrocinium in hoc Coenobio exorsus, ita animum ad sui profectum addixit, ut suis Confodalibus exemplo esset, inque tenera illa aetate senilem maturitatem praesferret. Anno vero probationis expleto, professionem, quam vehementer cupierat, emisit, coepitque jamjam animarum zelum, quo exaestuabat, patefacere. Studiorum deinceps curriculo inchoato, sic iis qua pollebat ingenii magnitudine ac perspicacia incubuit, ut brevi suis Coalumnis & pietate simul & litteris anteiverit. Ampla itaque humanarum divinarumque rerum parva eruditione, Artes ac Theologiam docendi munus, quod ipse, disseminandi verbi Dei causa, repulerat, Superiorum obstrictus praeepto obivit, ingentique omnium laude consummavit. Ita vero Scholasticis exercitationibus intendebat, ut numquam concionandi onus ab ipsis Sacerdotii primordiis coeptum intermitteret; ut qui sacris Missionibus fungi, quod ei in votis erat, non poterat, per vicinos ac plateas saltem declamaret, atque domesticis concionibus, quae festis haberi solent diebus, sua quoquomodo incendia temperaret. Qua in re illud etiam stupore dignum accidebat quod eadem die non semel, sed ter saepissime fuerit concionatus, quin hac de causa aut poenitentes audire, aut in agone positus ferre subsidium recusaret: sicque Vir plane, quem Christi urgebat charitas, quasi unum erat ex illis quatuor animalibus, quae nocte ac die requiem non habebant; ut qui perenni circuitu, è Scholis in Suggestum, è Suggestu in agrotantium domus, ac utrinque in Scholas iterum convolaret. Neque tamen impedimento eidem esse haec omnia potuere, quominus ad restituendam Sanctissimi Rosarii devotionem, in hac Urbe fere prorsus extinctam, adque eam in reliquis Hispaniae partibus ampliandam, duo pietatis ac spiritus referta volumina compilaret, vulgari sermone Hispanico inscripta: *Cartas de favor en nombre de Maria Santissima á sus devotos*: quibus id, adjuncta viva voce, obtinuit, ut brevi è bene multis Ecclesiis fidelium coetus exirent, in Deiparae honorem ejus Psalterium per plateas solemniter decantantes; Confraternitates per omnem prope Hispaniam instituerentur, confirmarentur institutae; ac Arae etiam sub hac invocatione erigerentur. Hac vero in fovenda devotione, sicut erga dulcissimum Jesu Nomen in dies amplius excitanda, suas omnes, dum vixit, curas adjecit, quemadmodum codices non pauci his de rebus ab eo editi ostendunt, ac Novendalia etiam (vulgo Novenas) quamplurima testantur. O vero nunquam Apostolicorum pectorum sedandum zelum! O nullo divini amoris flammam circumscribendam limite! Parva Viro De

haec

hæc omnia videbantur. Parum erat per plures integras Quadragesimas declamasse. Parum fuerat innumeras tum in Aragonia, tum in Navarra sacras Expeditiones habuisse, nisi in omnes Hispaniæ Provincias evangelizaturus proficiliret. Hoc unum cogitat, id optat, id suppliciter à Præco, quasi fax pro pereuntium zelo exardescens, doctrinæ suæ radiis illuminaturus Hispanicam Gentem, ac frigida pectora exusturus; mirumque plane qua in arguendis scelestium vitiis constantia, fortitudine, vi, efficacia antecelluerit. Præsertim vero in execrandis mimorum spectaculis, quæ semper ut tot incentiva libidinis exhorruerat, qua se gesserit magnitudine ac libertate animi, quamque etiam pro iis eliminandis laboraverit, majus profecto quiddam est, quam ut ulla satis facundia amplificetur.

Neque vim, magnanimitatemque Viri hanc despiciata quædam Monarchiæ Oppida tantummodo persensere, sed celebriores omnino ejus Urbes; Matritum, Vallisoletum, Salmantica, Complutum, Toletum, Pampilona, aliæque, in quibus, earumdem insignioribus Viris etiam audientibus, non alia aut celsitudine, aut libertate animi utebatur, ac si rudibus, omnique gradu ejectis hominibus affaretur. Etsi vero eadem cum doctis, & ignavis energia foret, eademque utrosque sententia confoderet, at non idem tamen erat suadendi modus; nam ut ipse sæpe testatus est, quo facilius & sapientes & insipientes caperet, rem ipsam illis altius, hisce demissius soluit explanare; quo factum est ut innumeros cujusvis generis statusque Viros Christi ubique gentium lucrifecerit, magnamque sibi apud omnes existimationem compararit, cujus rei abunde illud argumento est, quod ipsum omnes integerrimum, omniscium, ac uno ore sanctum appellabant. At inter omnes tamen Urbes, quæ Virum evangelizantem audiere, tantumque ei honoris detulerunt, quantum vix cuiquam delatum arbitramur, illa sane celeberrima Salmanticensis Civitas, æternum Hispaniarum decus ac splendor, aliisque Christiani Orbis Academiis aut præstantior, aut nulli saltem bonarum Artium cultura posthabenda; ut reliquas Litteratorum Virorum copia ac dignitate antecellens, sic illis in exhibendis Viro nostro honoris laudisque officiis facile antelata est, à quo cum integram Quadragesimam, sacramque Expeditionem audiisset, miram illam Viri in eloquendo facundiam, celeritatem in narrando, in suadendo ac dehortando rationum vim, authoritatumque è Sacris Litteris, è Conciliis, è Romana Sede, ex Patribus, utque brevi finiamus, è cunctis omnino locis ubertatem, in alluciendis hominibus dulcedinem, in perterrefaciendis acrimoniam, in mutandis qua vellet animis solertiam admirata non modo est, sed summa etiam laude ac honorificentia prosequuta; quæ laus, quique honor, ut à Viris exceptione omni majoribus exortus, nihi habet quo invidiam provocet, aut ambiguitatem in tanti Viri meritis derelinquat. Ut vero existimatio, quam Vir noster ab hac Urbe promeruit innotescat, excribere hic ahud pigebit Octasthicon, quod in ejus laudem ibidem concinnatum est:

*Inclyte, quem vulgo Paduanum dicimus, Heros;
Tuque Valentini gloria, Dive, Soli;
Dicite utri Vestrum similis Garzesius extet,
Undique dum vestro par quoque munus obit?
Jam tamen ecce venit de Cælo Nuntius alto,
Ista det ut tanti propria signa Viri.
Nomine te, Antoni; Vincenti, te ordine vitæ
Ipse, qui Apostolico Spiritu utrumque refert.*

Quæ carmina, quamquam à quo fuerint auctore edita nescimus, quocumque tamen elegantiori Vate digna intelligimus, nihilque hucusque dictum esse remur, quod Viri dotes luculentius contineat altiusve. Nam egregium illud S. Stephani in eadem Urbe Cœnobium, ne ulli quidem Ordinis cum sapientia, cum Religione secundum quanti clarissimum Virum nostrum fecerit, esto aliud è benemultis non suppetat, magno tamen illud argumento est, quod à Reverendissimo Magistro Ordinis Bremondio Magisterii lauream eidem conferendam petierit, & quamprimum fuerit assequutum. Atqui hæc si majora mehercule sunt, quam ut ullo satis sermone efferri possint, quo tandem portentosam illam vastissimamque sapientiam ex omnium penitus conquistam disciplinarum fontibus evehamus, qua dubiis è omnibus Hispaniarum Provinciis, perque Viros tum litteris, tum dignitate clarissimos identidem propositis occurrebat, quæque summa & brevitate & profunditate concludebat; nisi forte ad inenarrabilem illam ingenii vim, ac tenacissimam memoriam, qua nihil quod semel attento animo legisset excidisse dicere consuevit, mentem sensusque surrigamus?

Jam vero non poterant non hæc ad Catholicissimi Hispaniarum Regis Ferdinandi VI. tum

Regni jura tenentis Solium auresque pervenire; qui tanti Viri fama permotus, concionem eum habere quater iis, qui ad sua quomodocumque attinerent Consilia imperavit: Quam rem ut plane novam, longisque retro sæculis inauditam Hesperia admirata est. Ac apud piissimum Catholicissimumque Regem Carolum III. hodiernum feliciter imperantem, quam fuerit de re omni commune bonum spectante benemeritus, satis illud superque indicat, quod suorum eum Concionatorum numero accensuerit; quod eidem proventus annuos accipere quos renuebat in mandatis dederit; quod Regiam omni nisu deserere molienti sua potestate obstiterit, nec nisi in Matrili confinibus passus eundem fuerit declamare; ut plurima, ne Regum corda rimemur, taceamus. At quo tandem Vir hic fortunatissimus inter tot Regum obsequia, Magnatum officia, Sapientum laureas, Populique voces spiritu agebatur? Non eo plane aut ambitionis aut etiam avaritiæ, exagitare eos solito, qui semetipsum non Jesum Christum prædicantes, temporique servientes lenociniis, fucatisque verbis auditorum aures emulcent, auram venantur popularem, in magnis haberi concupiscunt; sed eo omnino Pauli, qui doctis ac persuasibilibus sapientiæ humanæ verbis derelictis, in doctrina spiritus spiritualibus spiritualia comparans loquebatur; quique gratis ea danda esse quæ gratis acceperat agnoscebat. Hunc vero terrenorum contemptum eventu firmatum esse voluit, dum sæpe Familiares suos in Regia aliisque Urbibus commorantes per litteras adhortatus est, ut ne levem quidem ejus in conferendis honoribus mentionem haberent, nisi nexum amicitiae vellent dirumpi atque dissolvi. Illud etiam quod sæpe Matrili mania viderit, ac tetigerit, quin id ingredi, pedemve figere ullo modo veller, quid tandem sibi volet, nisi summa Viri humilitas, pectusque vere Apostolicum indicentur? Ast nimis in re omnibus perspecta commemoranda remoramur. Cum gravissima tamen illa foret non erat leviter attingenda.

Ergo jam Vir Dei postquam fere omnes Hispaniæ plagas evangelizando cucurrisset, relictis sapientiæ, charitatis, fortitudinis, magnanimitatis ubique vestigiis, Valentiam quamquam coactus sese contulit, Provinciæ suæ Comitibus adfuturus, ubi optimo Patrum consilio, exterorumque etiam plausu, ejusdem Provinciæ Pastor renunciatus est; quod munus tametsi repudiavit, Reverendissimi Magistri Ordinis præcepto obivit; eaque in ipso se gessit prudentia, religione, zelo, integritate, qua omnium vota non modo explevit, sed longe superavit. Difficile vero dictum est, quanta in Regulari fovenda augendaque Disciplina sollicitudine atque severitate invigilaverit; pro cujus etiam ampliori latiorique cultu quasdam per universas Provinciæ Domus hortatorias litteras transmisit, pietatem Virique zelum clarius, quam excribi à nobis valeat ostendentes; id quod subsequens Prior Provincialis ejusdem epistolæ acceptatione, novo quoque adjuncto robore confirmavit. Nec verbo tenus disciplinam tantopere commendatam, sed re etiam ipsa in semetipso voluit tamquam in omnium Præsule prælucere. Nam cum omnes hujus Coenobii Fratres, dum vix fuerat Provinciæ præfectus, in Capitulum, ut mos est in Ordine, convenissent, illis coram, sic omnia quæ ad usum concessa sibi fuerant abdicavit, ut nihil penitus sibi relinquendum voluerit, sed omnia Prioris arbitrio subjecerit, quomodocumque in Communitatis commodum insumenda: Quo facto quantum universis æmulationis exemplum præstiterit, perpendat versetque animo unusquisque. Neque id tantum, verum etiam nonnullorum è Regia aliisque Urbibus Virorum, honore ac nobilitate spectatissimorum per assiduas litteras communionem statui fortasse suo obfuturam existimans, eadem firmo animo abstinuit, malens coram hominibus inurbanus, quam ante Deum Judicem inveniri paupertatis reus. Ita vero Vir plane Apostolicus assequutus est, ut sui regiminis tempore elapso, promptior pietatis officiis exequendis, concionumque onere rursus obeundo expeditior foret, quibus omnibus adeo ardentem jamjam septuagenarius insudavit, ut loca adhuc evangelizando benemulta decurreret; Quadragesimas hic laboriosiores celebrioresque constanter habuerit; (hoc anno, nisi morte præventus fuisset, habiturus) eadem qua antea promptitudine ægris in extremis constitutis subveniret; capitali sententia puniendis præsto fuerit; ac nonnumquam clittellæ asini, quo vehuntur rei, præ senecta innixus, magna omnium ædificatione sit per loca publica subsidiatus; dubiisque undequaque assiduis innata sua & brevitate, & soliditate satisfecerit.

In hisce porro sese charitatis officiis ferventius exercebat, dum ecce morbo corripitur infirmitate, quod brevi ita invaluit, ut tam ipse quam Medici de recuperanda salute desperaverint. Non eum perterrefecit aut commovit novitas, quinimo ingenti gaudio audiebat quid quid de suo transitu dicebatur. Mirum plane erat commotam hinc & ejulantem omnem Civitatem, nosque etiam moerore oppressos intueri, illinc autem summopere exultantem ægrum videre; hinc nos lacrymabundos, hinc illum summa hilaritate animi perfusum. Excrevit autem auctumque est in eo gaudium hoc, dum Sacro Viatico reficiendum sese intellexit, quod

ea humilitate ; puritate animi , devotione suscepit , qua de Viro virtute omni ornato existima-
 ri potest. Jam vero dum Sacram Hostiam ante se vidit , veniam demississime à suis Fratribus
 exposcit , ac testatus est (id quod antea , adhibito Jesu Christo teste , jam fecerat , dum si-
 mili morbo laboraret) se neminem odio unquam habuisse , nec omnino quidquam aut sub-
 ditum , aut Prælatum exequutum esse , quod non idem recta mente , ac æqua in omnes bene-
 volentia confecisset. Deinceps Sacrum Oleum humillimis ardentissimisque desideriis postula-
 vit , utque mente sensibusque integris ungeretur deprecatus est. Sequenti ergo die , quæ fuit
 Februarii 15. cum febris jam supra modum excrevisset , pectusque elevatione nimia intumuis-
 set , Sacro Oleo ut petierat delibutus est. Paulo post Novitiatus Juvenes , qui ad invisendum
 eum perrexerant , longa oratione adhortatus est , ut semper diei suæ novissimæ reminiscerentur ,
 ac ut studiis sedulam navarent operam commendavit , quo dempto , Dominicanorum nemo po-
 test Instituti sui finem debite adimplere. Cum inde omnem vitæ suæ decursum breviter com-
 plexus esset , deque acceptis à Deo beneficiis eidem gratias impendisset : esse asseverasset ho-
 minibus *mori lucrum* , idque variis Scripturarum Sanctorumque PP. adductis mira authenti-
 citate dictis confirmasset , eo raptus est spei impetu , ut absque ullo prorsus metu Supremum
 Dei Tribunal se adire affirmaverit : at statim vero , ne id ex præfidentia dictum videretur , ahud
 ita esse suis , sed Jesu-Christi meritis adjunxit. Cum autem orationem hanc plusquam ad horæ
 dimidium protraxisset , jamque vires supra modum deficere , vocemque , præ nimio pectoris tu-
 more ac effervescentia , intercipi persentiret , finem ei imposuit verbis illis , quæ utinam infixæ
 semper animo haberemus : *Quid prodest homini si mundum universum lucretur , anima vero
 suæ detrimentum patiatur* ; moxque manus Juvenibus deosculandas porrexit , qui suis eas la-
 crymis irrigarunt. Hac porro eadem tranquillitate animi , spe , magnanimitate , fortitudine ad
 extremum usque vitæ halitum permansit ; sui compos perpetuo fuit ; sensus integros , visumque
 potissimum conservavit ; ac ita tandem , quin alium excessui suo motum præmitteret , quam ca-
 put paululum inclinare , cum duos supra septuaginta annos ageret , duos menses , tredecimque
 dies , die 16. Februarii , placidissime animam efflavit , hora quasi prima antelucana.

Vix Templi januæ , illucescente die , patuere , dum ingens mox hominum omnium generum ,
 atque ordinum concursus in Capitulum , ubi corpus depositum fuerat , est factus , aliis sarta
 globulorum , quæ Rosaria vocant , applicantibus ; aliis , Religionis ergo , vestium lacinias de-
 cerpentibus. At corpore vero post meridiem in Ecclesiam translato , adeo populi multitudo
 vestium partes abscindentis excrevit , ut non tam concursus , quam irruptio in Templum fieri
 videretur. Quare nos veriti , ne (quod minime decebat) vestitu omni spoliaretur , etsi summo
 labore , in Sacristiam de novo induendum intulimus. Tum populus in eam impetu irruit , foref-
 que molitus est penetrare ; quo cum ope adductorum Militum præpeditus esset , in Ecclesiam
 rursus irrupit , in qua Sedem Confessionalem , ubi Vir Dei pœnitentes dum viveret audiebat ,
 minutatim se inter dividendam excidit , Suggestum ubi concionabatur corrosit , pessulumque
 è Cellæ janua quam incolebat evulsit. Idem porro subsequenti die in Exequiarum Solemniis ac-
 cidit , ac adeo populi multitudo aucta est ut (juxta Ordinis consuetudinem) post celebrata fu-
 nera , humari corpus æquiverit , quamobrem oclusis januis ipsum post prandium sepelivi-
 mus.

Habetis igitur tanti Viri gesta etsi rudibus lineamentis descripta ; Signa cernitis , (benemul-
 tis industrie prætermisissis) quibus eum humilium Celsitudo decedentem effert , qui honores
 dum viveret aspernatus est ; causamque etiam perspicitis , quæ vestrum nostrumque queat qua-
 dantenus delinire dolorem : Quæ omnia etsi eam nobis spem ingerunt , ut partem cum Christo
 habere Fratrem , ac Parentem nostrum charissimum confidamus , nihilo tamen minus , quia quid-
 quam ei coram Deo , qui justitias judicat , luendum fortasse superest , ardentissime efflagita-
 mus , ut vestris eum precibus , & sacrificiis juxta nostrarum Legum præscripta sublevetis. Va-
 lete nostri quoque in vestris orationibus memores. Datum in nostro Conventu Prædicatorum
 Cæsar-Augustæ IX. Kal. Martii. Anno M DCC. LXXIII.

A. R. P. V.

Addictissimus , & Humillimus Servus,

Fr. Mathias Bellido Pres. & Prior.